



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput VII. De occultanda gratia, sub humilitatis custodia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

& si interdum corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori mea gratia: & multum præcave a vana complacentia, & superbia.

Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem pæne incurabilem quandoque labuntur.

Sit tibi cautelam, & in perpetuam humilitatem, ruina hæc superborum de se stulte præsumendum.

CAPUT VII.

De occultanda gratia, sub humilitatis custodia.

I. **F**ili utilius est tibi, & securius devotionis gratiam abscondere, nec altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: sed magis temetipsum despiciere, & tamquam indigno datam timere.

Non est huic affectioni tenacius inhærendum, quæ citius potest mutari in contrarium.

Cogita in gratia, quam miser, & inops esse soles sine gratia.

Nec est in eo tantum spiritualis vitæ profectus, cum consolationis habueris gratiam, sed cum humiliter & abnegate, patienterque tuleris ejus subtractionem: ita, quod ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex usu facienda, omnino dilabi permittas.

Sed sicut melius potueris, & intellexeris, libenter quod in te est, facias: ne propter ariditatem, seu anxietatem mentis, quam sentis, te totaliter negligas.

2. Multi enim sunt, qui cum non bene eis successerit, statim impatientes fiunt, aut desides.

Non enim semper est in potestate hominis via ejus, sed Dei est dare, & consolari, quando vult, & quantum vult, & cui vult, sicut sibi placuerit, & non amplius.

Quidam incauti propter devotionis gratiam, seipsos destruxerunt: quis plus

plus
runt
men
etum
diciu

Et
quan
grati

Fa

cti,

sibi:

disca

penn

Qu

in vi

toru

sunt,

3.

qui,

volu

si tan

nolue

Ra

regi

Me

plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suæ parvitatæ mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium.

Et quia majora præsumpserunt, quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam cito perdiderunt.

Facti sunt inopes, & viles relictæ, qui in cœlum posuerunt nidum sibi: ut humilitati, & depauperati, discant non alis suis volare, sed sub pennis meis sperare.

Qui adhuc novi sunt, & imperiti in via Domini, nisi consilio discretorum se regant, faciliter decipi possunt, & eludi.

3. Quod si suum sentire magis sequi, quam aliis exercitatis credere volunt, erit eis periculosus exitus, si tamen retrahi a proprio conceptu noluerint.

Raro sibiipsis sapientes ab aliis regi humiliter patiuntur.

Melius est sapere modicum cum

humilitate; & parva intelligentia, quam magni scientiarum thesaurum cum vana complacentia.

Melius est tibi minus habere, quam multum, unde posses superbire.

Non satis discrete agit, qui totum lætitiæ tradit, obliviscens profectinæ inopiæ suæ, & casti timoris Domini, qui timet gratiam oblata amittere.

Nec etiam satis virtuose sapit, qui tempore adversitatis, & cujusque gravitatis, nimis se desperate gerit, & minus fidenter de me, quam oportet, recogitat ac sentit.

4. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, sæpe tempore belli nimis dejectus, & formidolosus reperietur.

Si scires semper humilis, & modestus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderare, & regere, non incideres tam cito in periculum, & offensam.

Contilium bonum est, ut fervoris

spiritu concepto mediteris, quid futurum sit abscedente lumine.

Quod dum contigerit, recogita: & denuo lucem posse reverti, quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus subtraxi.

5. Utilior est sæpe talis probatio, quam si semper prospera pro tua haberes voluntate.

Nam merita non sunt ex hoc estimanda, si quis plures visiones, aut consolationes habeat; vel si peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu.

Sed si vera fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus, si Dei honorem pure, & integre semper quærat: si seipsum nihil reputet: & in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici, & humiliari magis gaudeat, quam honorari.